

spicuæ ac nervosæ Reclamationes , mutatæ Confessioni oppositæ , invictè ostendunt.

119. Prius illud de Papistis defensione , ne Lutherus responso quidem ullo aut refutatione dignum es- se iudicamus. Nam Sole hoc meridiuno clarius est , Lutherum transsubstantiationis dogma inter- gro octennio ante scriptam & exhibitam Confes- sionem Augustanam , toto pectore fuisse detesta- tum : imò ex ipsis Sacramentarijs haud paucos Latinum Exemplar ab hac accusatione planè li- berum pronunciare constat : ut vel inde futilitas objectionis huius satis pateat.

120. Sic quoad phrases illas , seu modos lo- quendi , (sub specie panis & vini ) ne illis qui- dem ulla ex parte transsubstantiationem Ponti- ficiam stabiliri : tūm ex Lutheri , tūm aliorū Or- thodoxorum scriptis , vel centies ad oculū fuit Sa- cramentarijs demonstratum : & infra in diexodo Articuli Decimi fusiūs ostendetur .

121. Obstrepunt porrò non in pejus sed meli- us eam fuisse mutatam. Certè si scriptum aliquod purum , fœdis errorum stercoribus conspurcare , in melius mutare fuerit : præclarè omnino finem hunc affecuta videri debet Mutata Confessio .

122. Quod ut planum fiat , pauca quædam de- libabimus : Articulo quarto & quinto , incrusta- tus est error de Evangelio prædicante pœniten- tiā : de donatione fidei , facta sine Spiritu san- cto. Articulus decimus nullibi sibi est similis , sed ita fadè detruncatus , ut ( quod supra ostensum )

C 5 SACRA-

Anno 22.  
Transsub-  
stantiatio-  
nem planè  
damnavit.